

1995

C O D I C E S

1996

Praef. prioris Comment. ad Juliam Gonzagam diferte *Valdesius* *Versionis suae Psalmorum* meminit, quemadmodum supra in nostro *Prooemio*, et quod *Sandius* in *Biblioth. Antitrinit.* inter ejus *Scripta* *Commentarium in Evangelium Matthaei* recenset. Itaque hunc esse nostrum jam nullus ambigo, typis vero editum nunquam puto. De Autoris circa an. 1540. defuncti fati plurima collegit *Baylius* in *Diſt.* quem, si lubet, confule.

DXX.

87² Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 28. f. inscribitur: *Contiones Breves ac Succinctae in Apocalypsim Joannis Apostoli in Tabulas redactae per Stephanum Szegedinum Pannonium.* Fata et *Scripta Stephani* hujus *Kis* five *Parvi* a natali loco dicti *Szegedini* e *Zwittingeri Specim. Hung. lit.* repraesentavit *Alex. Horányi* in *Memor. Hungaror.* P. III. p. 338. Redegit *Stephanus* in ejusmodi *Tabulas Analyticas* five *Compendiarias Psalmos, Prophetas* IV. majores, *Evangelia Matthaei* et *Johannis, Actus Apost.* *Epistolas Apostolor.* et *Apocalypsin*, quae omnia lucem primum adspexere *Schabusiae* 1592. f. opera *Matth. Scaricaei Hung. Kevini*, qui se carmine praevio *Stephani* clientem profitetur. Ignoravit *Zwittingerus* in isthac Editione etiam *Tabulas* nostras *Apocalyplicas* contineri, quas *Basilae* primum prodidisse a. 1598.

et 1610. f. credidit. Praemittitur nobis *Decastichon Szegedini*, ut in edit. *Schaph.* ut etiam tritum illud *Distichon: Roma diu titubans &c.* sed *Hexastichon* nobis inscriptum: *Vox Angeli qua debortatur Pios a consortio Romanae Ecclesiae. Apoc. XIV. Scari-caeus* non habuit. Sequitur et in *Codice* et in Edit. *Epistola Dicatoria Szegedini* data: *Kalmanchini* (*Kalmáncséh*) qui *Pagus* est *Provinciae Simeghiensis* non procul *Sigetbo* et apud *Zwitting.* *Calmantsemum*, et in edit. *Kalmantseba* audit, *Decimo Junij* a. 1561. ad *Sigismundum Galler* *Confiliar. Caes. e Styriaca* utique *Nobilitate*, non *Haller*, quem fecit *Editio cit. Helvetum* velut quempiam. *Gallerum* hunc *Sacris Protestantium* addictum fuisse inde liquet, quod eum *Szegedinus* acerrimus *Romanae Sedis* hostis, ut vel ex ejus *Speculo Pontiff. Rom.* patet, *Mecaeenam* suam vocet, eique *doctrinam vere piam* et *sacra studia* commendet. *Fol. 19.* sequitur: *Dispositio Epistolarum Pauli Decem quae sunt ad Ecclesias missae.* Haec quoque *Αναλυσις* praevio ad *Lectorem Ogdosticho Szegedini* extat edit. *Schaph. cit.* p. 323. contra ac *Zwittingerus* arbitratus est.

DXXI.

Codex membraneus lat. Sec. 666 XIII. ut videtur, ineuntis, Folior. 61. 4. non eodem, per totum nitore scriptus, rubricisque distinctus, a paullo recentiore manu

nu

1997

P O L E M I C I.

1998

nu insignitus est: *Dialogus petri Baiolardi*. Ridiculam nominis huius originem narrat Codex D. *Emmerammi*, e quo *Bern. Pezsius* in *Thes. Anecd.* T. III. P. II. col. 625. *Petri Abaelardi Ethicam* vulgavit. Ait enim, Magistrum *Tirricum* (Theodoricum *Aremoricum*) *Abaelardo* difficultatibus mathematicarum *Lectionum* aliquantum percusso dixisse: *Quid canis plenus nisi lardum bajare consuevit? Bajare autem lingere est. Exinde Bajolardus appellari coepit.* Quod mihi nugatorium videtur, qui *Baiolardi* nomen potius ex *Abqilardo* ortum putem truncato vocis initio, uti multarum gentium in propriis *Nominibus* mos est. *Abaelardum* porro, quod adtinet, non feram ligna in filvam. *Notissimus* est hic *Sec. XII.* *Scriptor* ingenio et eruditione, *Philosophiae* in *Sacris* usu, dicam, an abusu? calamitatibus suis. *Opera* illius *Parisiis* 1616. ab *Andr. Quercetano* et *Franc. Amboesio* 4. edita postmodum *Edm. Martenius Theologia Christiana, Expositio in Hexameron, Rhythmo de S. Trinitate, Bern. Pezsius Ethica* seu *Libro Scito te ipsum* auxere. At, qui *Dialogi* praesentis meminisset, praeter *Frisium*, qui in *Bibl. Gesnero* — *Simleriana* nostrum istud *Exemplar* citat, novi nunc quidem neminem. *Argumentum* ejus ex ipso, quem adscribam, ingressu patebit: *Aspiciebam in visu noctis. et ecce uires tres diuerso tramite uenientes. coram me astiterunt. Quos ego sta-*

tim iuxta uisionis modum cuius sint professionis. uel cur ad me uenerint interrogo. Homines inquit sumus diuersis fidei sectis innitentes. Vnius quippe dei cultores esse nos omnes pariter profiteamur. diuersa tamen fide et uita ipsi famulantes. Unus quippe nostrum gentilis. ex his quos philosophos appellant. naturali lege contentus est. Alii duo uero scripturas habent. quorum alter iudeus. alter dicitur christianus. Diu autem de diuersis fidei nostrae sectis inuicem conferentes. atque contendentes. tuo tandem iudicio cessimus. Ego super hoc itaque uehementer ammirans. quis in hoc ipsos induxerit. uel congregauerit quero. et maxime cur in hoc me iudicem elegerint. Respondens autem philosophus. mea inquit opera hoc est inceptum. quoniam id suum est philosophorum rationibus inuestigare. et in omnibus non opinionem hominum sed rationis sequi ducatum. Nostrorum itaque scolis corde intentus et tam ipsorum rationibus quam auctoritatibus eruditus ad moralem tandem contuli me philosophiam que omnium finis est disciplinarum. et propter quam cetera omnia prelibanda iudicaui. Hic de summo bono et de summo malo. et de his que uel beatum hominem uel miserum faciunt. quo ad potui instructus statim apud me diuersas etiam fidei sectas quibus nunc mundus diuisus est studiose scrutatus sum. et omnibus inspectis et inuicem collatis illud sequi decreui. quod consentaneum magis sit rationi. Contuli me igitur ad iudeorum

D d d 3

iudeorum

1999

C O D I C E S

2000

iudeorum quoque et christianorum doctrinam &c. Verum multis ultro citroque agitatibus exoptare se nunc *Petri* arbitrium, de quo inter alia: *Quod uero ingenii tui sit acumen. quantum philosophicis et diuinis sententiis memorie tue thesaurus abundet* — certum se nobis prebuit experimentum opus illud mirabile theologie. quod nec inuidia ferre potuit. nec auferre preualuit. sed gloriosius persequendo effecit. Intelligi hic puto *Abaelardi Introductionem ad Theologiam* sive de *Fide S. Trinitatis Libros III.* edit. *Paris. suprac.* p. 973. propter quam plurima perpeffus est, ut ex propriis ejus Epistolis *ibid.* aliisque autoribus, qui in *Baelii Diction. in Hist. liter. Franciae.* T. IX. in *Fabricii Bibl. med. Lat.* L. XV. citantur, liquet. Annuente porro arbitrium *Petro Philosophus* primum cum *Judaeo*, dein cum *Christiano de summo Bono*, *Maloque* confligit, et post primum quidem certamen, quo *Judaeus* succumbit, *Petrus* sententiam rogatus inducias usque ad alterius disputationis finem petit et a partibus obtinet; haec uero disputatio in his *Christiani* uerbis terminatur: *Quod quia ex inquisitione summi boni pendeat. si quid superest quod de ipso ulterius queri censeas. licet te subinferre uel ad reliqua festinare*, ut adeo aut *Petrus* nimium mature euegilauerit, aut extrema totius *Dialogi* defint, quod sane dolendum, *Christiano* promerita *Victoriae* adcla-

matione fraudato. Interim in *Codice* eodem uersu

II. fol. 59. p. 2. sequitur: *Exortatio* (uox rescripta super aliam miniatam erasam) *magistri ad discipulum de inquisitione summi boni.* Incipit: *Fili karissime studium tuum delebat me quo sapientum scripta inuestigas per te ipsum legendo* &c. Post uerbofam de ignavis *Discipulis* querelam haec legas: *Occasio uero huiusce inquisitionis exinde ut dicis oborta est tibi quod legens dyalogum sub disceptatione christiani et iudei atque philosophi a magistro petro digestum de summo bono illic inueneris aliquid inuestigatum sed non satis elucidatum quid sit uel ubi sit ipsum summum bonum quauae ad illud uia sit rectissime gradiendum* &c. Videtur tota haec *Exhortatio* obliqua *Crisis* in *Abaelardi* praecedentem *Dialogum*, et *Discipuli* praemunitio; postquam enim ex *Augustini* *Opusculo de Summo Bono* multa opportuna adducta fuissent, subdit *Magister ἀναγγελλος*, tales audiendos, *qui non a philosophis aut iudeis christum ignorantibus aut reprobantibus sed ab ipso christo ueritatis doctrinam acceperunt. Ipsum audite, ait pater celestis. Ipsum audite, aio et ego uobis quicumque me auditis discipuli seu filii. Ipsum audite potius quam paganum philosophantem uel ebreum iudaizantem* &c. et deinceps multis *Scripturae* locis apte usus concludit: *Ergo ipsum audite, sitque uobis anathema quicumque aliud*

2001

P O L E M I C I

2002

aliud docet, quam quod habet verbum doctrine ipsius euangelice. plenum gratia et ueritate. gratia excitante ac roborante uoluntatem. ueritate illuminante rationem. gratia uoluntatem preueniente ac subsequente. ueritate rationem dirigente atque ducente in uiam pacis

ad patriam lucis eterne. in qua clare uidebitur et gustabitur summum bonum. quod est pater et filius et spiritus sanctus deus unus ac trinus. Ipsi gloria in secula seculorum amen. Intercepta est media haec Exhortatio miniato Disticho:

*Leſta ſat eximia preſens hec philoſophia
Doctrinae triplicem cuius preſtabit honorem.*

Quod rectius ad calcem *Dialogi Abaelardi* locandum fuiſſet; rō triplicem enim ad *Doctrinam trium Interloquentium* adludere uideatur.

DXXII.

126 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 222. f. currente calamo ſcriptus continet *Farraginem Opusculorum Theologicorum* praecipue *Georgii Caſſandri* Belgae Theologi; pacis inter diſſidentes Eccleſias ſtudioſiſſimi, ſed, ut ſit, malam a Partibus gratiam meriti, qui ✠. Coloniae 1566. Ea hic ordine indicabimus. I. fol. 1. *Απογοεαρον* annotationum marginalium manu propria *M. Weſſeli* in *Librum Petri de Alliaco De poteſtate eccleſiaſtica, et in opusculum Gerſonis de indulgentijs*. Recenſum jam alibi.

II. fol. 2. p. 2. Articuli ſex *M. Henrici de Oyta* an. 1371. a *M. Adalberto de Bohemia* ad *Gregorium XI.* delati. Sunt uero: In graui peccato conſtitutum per opus bonum, ad quod

tenetur, nouum peccatum committere. Peccata dimitti a Spiritu ſ. non a Sacerdote. Doctum Confessarium non habentem iurisdictionem praefendum indocto habenti. Jure tantum humano et poſitio non poſſe quemuis a quouis ſacerdote abſolui. Vere eſſe praeeptum, quod alicui eſt uere conſilium. Praeeptum caritatis Dei perfecte poſſe in uia impleri. Subjicitur: *De his articulis poſt longam diſceptationem abſolutus fuit a quatuor cardinalibus, quibus pontifex totum negotium commiſerat.* Nihil de hoc negotio apud *Scriptt. Uniuerſit. Vienn.* in uita *Henrici P. I.* p. 58. ſed *Poſſeuius* in *Appar. ſac.* meminit *Articulorum* contra quendam *M. Albertum*, quem ego eum puto, de quo ad *Cod. DXLIII.* et *DXLVII.* dixi, quique cum *Henrico ab Oyta Pariſiis* aut etiam *Pragae* colluſus fuerit, antequam hic ad plantandum cum *Henrico de Haſſia* *Gymnaſium Vindobonenſe* euocaretur.

III. fol. 3. *Exemplum literarum ab Oxonio miſſarum de diſputatione*